

**Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro
singulis Anni diebus**

Complectens Januarium, Februarium, Martium

Nepveu, François

Monachii, 1709

Dies 11. De gravitate peccati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60495](#)

Februarius. ፩፪፪፡፩፪፪፪፡፩፡፩፪፪፪፡፩፪

DIES XI.

De gravitate Peccati.

三

Si invenire locum potes, ubi Deus non sit,
& ubi peccatum tuum ejus conspectui
subtrahere possis, consentio, dicebat Sancto-
rum quidam infami cuiquam fæminæ, ut
id committas, at ubi locum illum invenies?

Zsal. 133.v.
3.

Si invenire locum potes, ubi Deus non sit,
& ubi peccatum tuum ejus conspectui
subtrahere possis, consentio, dicebat Sancto-
rum quidam infami cuiquam fæminæ, ut
id committas, at ubi locum illum invenies?
Si ascendero in cælum, inquit Propheta, illuc es; si descendero in infernum, ades. Quid?
Auderésne Deum offendere, ubi præsens
est? Auderésne abominationibus tuis con-
taminare oculos tam puros, qui cessare ci-
tius possent te videre, quām iniquitates
tuas tolerare? Auderésne turpissimum hoc
facinus, non dicam coram viro honesto,
sed vel coram domesticorum tuorum ali-
quo committere? estne DEUS minore
dignus reverentia? Scis, te à DEO videri,
dum hoc peccatum perpetras; scis, eum
in infinitè illud odisse; & id committis? Scis,
eum id æterno supplicio punire posse, eo
ipso temporis puncto, quo id admittis; at
non scis, an non id reapse punire velit; &
id perpetrando non contremiscis? Quæ
insolentia! Quæ temeritas!

II. Si

II. Si invenis momentum aliquod, quo februarius.
DEUS tibi non benefaciat, eo momento
eum offendas, per me licet. At quia nec
unicum vitæ tuæ momentum est, quod non
pluribus beneficijs divinis insignitum sit,
qua fronte illud ingrati animi vitijs con-
spurcare audes? Deum offendere, quanta
insolentia? Deum offendere benefactorem
suum, quam turpis beneficiorum oblivio?
Sed eum offendere illo ipso momento, quo
suis te beneficijs obruit; verba desunt
quibus tanti sceleris gravitas expri-
mi queat. Verum ex ipsa ejus patientia,
qua nos tolerat, ex ejus bonitate, qua nobis
parcit, incitamentum, vel anfam audaciæ
suæ sumeret. Possentne ipsisimè dæmo-
nes eo malitiæ progredi? Deus bonus
est: Ego igitur malus ero; si me tolerat,
si me exspectat; igitur impudenter eum
offendam. Quæ consequentia? Et tamen,
an non ego ipse millies hunc in modum
raciocinatus sum, saltem mea vivendi ra-
tione?

III. Si actionem aliquam exercere potes,
cujus Deus non sit particeps, aut motum
aliquem cordis excitare, vel actum intel-
lectus elicere, qui ab ipso non oriatur, con-
cedo, ut hunc ad DEUM non diligas: Si
ullus eorum est, cuius principium DEUS

I


non

Februarius. non sit, non exigo, ut ejusdem sit finis. At, si nec gressum movere, si nihil penitus agere potes, quin is saltem tecum agat, quinte adjuvet, quomodo ad patrandum peccatum ipsius concursu abuti audes? Visne quodammodo DEUM iniquitatum tuarum reddere vel complicem, vel ministrum? Ex ipsius potentia, & auxilio instrumenta crudis scelerum tuorum, & manum ejus omnipotentem, & beneficam ipsiusmet pectori, ut ita dicam, transverberando adhibes. Quantus furor? Heu me! fareor Domine; sic ego millies tecum egi: idque cum summa mei confusione agnosco, & spero, dolorem, quem propterea concipio, mihi veniam obtenturum.

*Si occasio DEUM offendendi se offeret, dic tibi-
set ipsi: Quid audebo offendere DEUM præ-
sentem, & quidem illo ipso tempore, quo mihi be-
nefaciat?*

Servire me fecisti in peccatis tuis. Isa. 43.
7. 24.

Idcirco tu deterior, quia DEUS melior,
ut redundantia Clementiae coelestis libidi-
nem faciat humanæ temeritatis. Tertull.



DIES